



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

12. Sacrosanctæ Militantis &c. Constitutio per quam confirmatur Erectio  
Conservatorii pauperum Puellarum Oppidi de Guimarens Bracharen.  
Diœcesis in Monasterium Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



Commen-  
dandi ad va-  
ria munia  
ecclesiastica.

ctus, benedicente Domino, afferre possit, si eam maximè vigere, ac florere contigerit, in Canonicatibus, aliisque Beneficiis hujusmodi conferendis, pensionibusque Ecclesiasticis reservandis, & aliis gratis impertiendis, dictos Academicos, præsertim si Censores fuerint, præ oculis habere velint, prout singulorum merita postulerint, quemadmodum nos facere non omitemus.

§. 7. Ad hæc cum æqui bonique rationi conducere dignoscatur, certis muniis exercendis adhibere, qui tutum aded Doctrinæ experimentum palam dederunt, maximèque deceat honoribus etiam augere, qui omni cura, ac studio ampliorum sibi sapientiam comparere, Academiam prædictam in publicum Ecclesiæ bonum, ac commodum colere, servare, & augere non desinant, dimensosque sibi litterarios labores pro veritate tuenda, dictæque Sedis dignitate asserendâ ultrò suscipiunt, & tolerant, eisdem Cardinalibus Protectoribus injungimus, ut quandocumque novi Philosophiæ, aut Sacræ Theologiæ Lectores publici in prædicto Gynasio Sapientiæ, vel in Collegio de Propagandâ fide nuncupato de eadem Urbe constituendi venient, aut etiam quoties novi designandi erunt in Urbe præfatâ Examinatores ad Confessiones, Sacros Ordines, & Beneficia, Qualificatores Officii Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, Consultores Congregationum eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus, Indici librorum prohibitorum, & expurgandorum, ac Indulgentiis, Sacrisque Reliquis præpositarum, aut Examinatores Episcoporum in facultate Theologica; Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti commendare non præmittant Censores Academiæ prædictæ, sive Ecclesiastici Seculares, sive Regulares fuerint, idemque præsent, cum de promotione ad Episcopales, aliasve Ecclesiasticas Dignitates faciendâ agatur, ut singulorum meritis debitâ circumspicione libratis eos eligamus, quos ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem in Domino expedite censuerimus.

Requisita  
Censuram.

§. 8. Quoniam autem, ut Nobis quoque innotuit, multis ex Academicis prædictis antehac Censuris Academiæ hujusmodi munus delatum fuit, Volumus quod præter eos, qui jam Censuris gradum obtinuerunt, nemini in posterum hoc munus deferatur, nisi illis Academicis, qui exacto laudabiliter sexennio, & sex peractis publicis disputationibus juxta præfatæ Academiæ Constitutiones, nomen, & officium Censuris dictæ Academiæ Theologiæ sibi promeruerint.

Confirmatio  
& subroga-  
tio Protec-  
torum.

§. 9. Ceterùm cum idem Clemens Prædecessor memoratos Cardinales dictæ Academiæ Protectores, & Defensores constituerit, ac deputaverit, quibus sel. rec. Innocentius Papa XIII. Prædecessor etiam Noster Dilectum Filium Nostrum Bernardum Mariam tit. S. Bernardi ad Thermas ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Comitibus nuncupatum addidit, ac nonnulli ex illis ab humanis decesserint, Nos ipsos Cardinales Protectores, & Defensores Academiæ prædictæ sic Deputatos, ac de præsentibus existentes, auctoritate præfata confirmantes, in locum defunctorum Venerabilem Fratrem Nostrum Fabritium Episcopum Ostien. & Veliternum Paulutium Sacri Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decanum, ac Dilectum Filium Nostrum Ludovicum tituli S. Silvestri in Capite, ipsius S. R. E. Card. Picum respectivè nuncupatos, auctoritate præfata subrogamus, ac in Protectores, & Defensores hujusmodi pariter constituimus, & deputamus.

§. 10. Decernentes quoque eadem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliove quolibet quacumque præeminentiæ, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum  
roborans &  
clausula sub-  
lata.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis Clementis Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 6. Maji 1726 Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogatio  
contrariis.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

F. Card. Oliverius.

CONSTITUTIO

XII.

Per quam confirmatur Erectio Conservatorii pauperum Puellarum Oppidi de Guimarens Bracharen, Diœcesis in Monasterium Ordinis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, eademque, quantum opus sit, suppleto quocumque defectu sanatur, & convalidatur; Moniales verò à Jurisdictione Archiepiscopi, & Parochi perpetuò liberantur, & Superioribus Fratrum dicti Ordinis immediatè subjiciuntur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Sacrofanctæ Militantis Ecclesiæ Gubernacula ex Summi Sacerdotii cathedra Nobis, meritis licet imparibus demandata tenentes, ad ea per que pauperes Puellæ olim sub aliquo vivendi Regula in communi Domo Conservatorii viventes, tandem spreis hujus infelicis seculi illecebris, tanquam prudentes Virgines accensis lampadibus obviam ituræ Sponso Jesu, eadem Domo in Monasterium erecta, assumptoque Regulari habitu perpetuum Altissimo famulatum impendere, æternamque beatitudinem consecrari valeant, ac exinde honoris flores, & honestatis fructus, Regularique Vitæ propagatio deveniant, propensius studii intendimus, & ne in posterum de hujusmodi erectionis validitate hæsitari contingat, sed litium anfractibus, & dissidiis super hoc habitis hucusque finis perpetuò imponatur, ac personæ in ea degentes Divinis laudibus ea, quæ par est mentis puritate, & cordis sinceritate liberior insistant, erectionem Monasterii hujusmodi Apostolicæ confirmationis munimine roborantes, Pastoralis Officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum hujusmodi ac locorum & temporum qualitatibus matura consideratione

Exordium  
à fovendo &  
confirmando  
pauperum  
Puellarum  
Monasterio.



Conservato-  
rii fundatio,  
professionis  
emissio & in  
Monasteri-  
um erec-  
tio.

penfatus in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias videlicet de Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto, sed alio veriori tempore in Oppido de Guimarens Brachaten. Diocesis simplex Conservatorium nonnullarum Puellarum in communi viventium per quondam tunc in humanis agentem Franciscum Antunes Torres, dum viveret, sed juxta ejus sub qua ab humanis decessit dispositionem Testamentariam fundatum, & erectum extiterit. Subinde verò scilicet de anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo Puellæ præfate habitum, & institutum Ordinis Fratrum Carmelitarum Tertii Ordinis nuncupatorum de manibus ejusdem Ordinis Superiorum susceperint, adancisque paucis ab inde annis tam illius Fabrica Regio Diplomate mediante constructa, quam annuis redditibus, & Tertiariarum numero, tunc existens loci Ordinarius non tantum Ecclesiæ de ejus licentia extraxit benedictionem impartiri, verum etiam ibidem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reponi, Clausura benedicti, nonnullas Sepulturas pro eisdem Puellis aperiri concessit, dictæque Puellæ sese noviter Jurisdictioni, & Gubernio tunc existentium Superiorum ejusdem Ordinis submiserint, ac sub Regimine Dilecti Filii Fratris Antonii de Incarnatione tunc existentis Commissarii Generalis dicti Ordinis in Regno Portugallie per aliquod temporis spatium permanferint. Cumque in Constitutione Pii Papæ V. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Circa p. s. foralis*, &c. caveatur expressè, quod Puellæ in hujusmodi Conservatoriis degentes, vel in manibus propriorum Superiorum solemnem emittere teneantur Professionem, aut Conservatoria hujusmodi dissolvantur, & supprimantur, proptereaque de anno pariter Domini millesimo septingentesimo quarto, sed etiam alio veriori tempore, cum tunc existentes Puellæ præfate opportunum situm Clausuram, Officinas, Dormitoria, Cellas, ac Suppellectilia Sacra, & profana, necessariisque annuos redditus haberent, & nemine contradicente, concurrentibusque in eisdem omnibus necessariis requisitis pro erectione Conservatorii præfati in Monasterium Monialium præfati Ordinis, earum solemnem Professionem in manibus præfati Commissarii Generalis specialiter ad id à tunc existente dicti Ordinis Superiore Generali deputati expressè emisserint, qua solemniter professionem trium substantialium Votorum, ac perpetuæ Clausuræ in manibus Superiorum dicti Ordinis juxta Constitutionem præfatum, ut præfertur emissæ licet dictum Conservatorium formale Monasterium, ac Puellæ præfate Moniales dicti Ordinis respectivè evaserint, & ab omnimoda Jurisdictione Ordinarii exemptæ Superioribus dicti Ordinis, qui eas usque ad annum ejusdem Domini millesimum septingentesimum septimum pacificè gubernarunt subjectæ extiterint, nihilominus eo tempore, ut etiam accepimus, tam à Venerabili Fratre moderno Archiepiscopo Brachaten. quam à Dilecto etiam Filio moderno Parochialis Ecclesiæ ejusdem Oppidi Rectore eo sub prætextu, quod Puellæ præfate per illius manus Paschale Sacramentum non suscepissent, ac sub præfatione, quod ipsæ verè Moniales non existerent, nec à Jurisdictione ejusdem Ordinarii exemptæ essent varias litium molestias passæ fuerant; quapropter habito per Dilectas in Christo filias Modernas Priorissam, & Moniales præfati Monasterii in gradu appellationis ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ Portugallien. recursum de anno similiter Domini millesimo sep-

Ordinarii  
ejusmodi  
erectioni se  
opponunt &  
Moniales ad  
Nunciaturam  
Apostolicam  
recur-  
runt.

tingentesimo octavo, in libera possessione exemptionis ab Ordinarii præfati Jurisdictione; prout erant manutenti obtinuerunt, & deinde ad Sedem Apostolicam pro approbatione & confirmatione Erectionis præfati Monasterii, ac quatenus opus esset cujuslibet nullitatis, quæ in ea intervenire potuisset sanatione recursum etiam desuper habito de anno pariter Domini millesimo septingentesimo decimo octavo, à Dilecto etiam Filio Nostro; & Sedis Apostolicæ præfate Nuncio in Portugallie, & Algarbiorum Regnis commoranti favorabilem informationem reportaverint, dictusque Archiepiscopus ab inde citra se opposuerit sub prætextu, quod Conservatorium præfatum absque Sedis Apostolicæ præfate licentia, ac Ordinarii consensu nulliter in Monasterium Monialium erectum fuisset, ac Priorissa, & Moniales præfate utpote nulliter professæ sub illius Jurisdictione adhuc remanere deberent.

§. 2. Nos igitur, qui quantum in Domino possumus personarum quarumlibet præsertim Monialium Regularis Vitæ disciplinam servantium quietem, & tranquillitatem, litium jurgiorumque perturbatione semota Paternis, & sinceris desideramus affectibus, ac attendentes, quod licet Conservatorii hujusmodi, ut præfertur in Monasterium præfati Ordinis Erectio, & Institutio usque, & de præfato Anno Domini millesimo septingentesimo quarto earum plenarium sortitæ fuerint effectum, ac Priorissa, & Moniales præfate in eodem Monasterio ad formam Erectionis, & Institutionis præfatarum Altissimo famulatum exhibentes in Divinis laudabiliter deservierint, & deserviant de præfati, & ab inde citra Constitutiones, seu Ordinationes, aut Regulæ secundum earum institutum pacificè, & absque ulla contradictione per eas observatæ fuerint.

§. 3. Nihilominus ne de Erectionis, & Institutionis hujusmodi viribus, ex quo illæ Apostolica auctoritate factæ non fuerint, ac expressus Ordinarii loci hujusmodi desuper consensus non intercesserit, & ne de ejusdem Monasterii stabilitate ullo unquam tempore hæsitari contingat, Monasterii præfati statui, & stabilitati, dictarumque Priorissæ, & Monialium conscientiarum quieti, & tranquillitati in præmissis opportunè providere, easque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, necnon earum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum; harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfati Monasterii Erectionem, & Institutionem, ut præfertur factas, Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium perpetuè approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit sanamus, & convalidamus; ac dicti Monasterii Priorissam, & Moniales nunc, & pro tempore existentes ab omnimoda Jurisdictione præfati moderni, & pro tempore existentis ejusdem Parochialis Ecclesiæ Rectoris etiam perpetuo eximimus, & liberamus, ac immediatè pro tempore existentium Superiorum Regularium præfati Ordinis, à quibus actu reguntur, & gubernantur Jurisdictioni, ac Regimini subijcimus, cum facultate eisdem Superioribus Regularibus pro tempore existentibus tradendi Priorissæ, & Monialibus præfatis nunc, & pro tempore existentibus tam probationis, quam Professionis Velum, ita ta-

Laudatur earum in observando sui Ordinis instituto assiduitas.

Confirmatio de qua in rubr.



men, ut Moniales, quæ in eodem Monasterio sub illius Regula recipientur, & admittentur in futurum habitum per alias Moniales præfati Ordinis gestari solitum suscipere: & tempore probationis elapso Professionem per eandem emitt, consuetam expressè emittere, Regulam, necnon perpetuam Clausuram, ac Ritus, mores, consuetudines, & Regularia Instituta præfati Ordinis servare, Divinisque laudibus, & Officiis insistere debeant, & teneantur.

Exemptio  
honorum à  
decimis.

§. 4. Et insuper eidem Monasterio, illiusque Priorissæ, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus, quod omnia earum bona, ac quicumque Censûs, Terræ, Domus, Possessiones, bona mobilia, & immobilia, quovis nomine nuncupata per quoscunque Christianifideles in perpetuum, vel ad tempus, simulque, vel successivè pro augmento bonorum Monasterii hujusmodi, & Monialium in eo pro tempore degentium, seu alicujus earum intuitu, vel contemplatione, ac etiam titulo elemosynæ, vel aliâs quomodolibet donata, assignata, & erogata, ac in posterum donan. assignan. & eroganda ex nunc prout, & postquam donata, assignata, & erogata fuerint, libera, immunia, & exempta à decimis & aliis quibuscunque oneribus, & impositionibus esse debeant: Ita quod liceat Priorissæ, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus præfatis corporalem, realem, & actualem illorum, Juriumque, & pertinentiarum quorumcunque possessionem per se, vel alium, seu alios earum, ac dicti Monasterii nominibus propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex eis proventientia quacunque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac in communes earum, & dicti Monasterii usus, & utilitatem convertere, Diocæsani loci vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisita.

Communi-  
catio privile-  
giorum alia-  
rum Monia-  
lium.

§. 5. Quodque Priorissæ, & Moniales nunc & pro tempore existentes præfate omnibus, & singulis Privilegiis, facultatibus, Immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præminentis, antelationibus, concessionibus, Indultis, Indulgentiis, favoribus, & gratis universis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alie Moniales dicti Ordinis in genere, vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, aut aliâs quomodolibet utuntur, fruntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, similiter, & pariformiter, ac absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant in omnibus, & per omnia, dummodò tamen illa seu illæ sint in usu, & non revocata, seu revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, & comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, dictique Ordinis Institutis non adversentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuò concedimus, & indulgemus, necnon Constitutiones, aut Ordinationes, seu Regulas hujusmodi pro firmiori illarum validitate, & subsistentia Apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robor, vim, & efficaciam, adjicimus, illasque ab omnibus ad quas nunc spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere volumus.

§. 6. Omnesque, & singulos tam Juris, quam Facti, & solemnitatum, aliisque quantumvis substantiales defectus, si qui in Erectione hujusmodi quomodolibet intervenerint eadem auctoritate supplemus, præsentis quoque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, nec sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, & Sedem Apostolicam præfata sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis etiam motu simili, & de scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine paribus pro tempore factis, & facien. comprehendi, vel confundi, sed tanquam ad majus Divini Cultus augmentum factas, & emanatas semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per nunc, & pro tempore existentes Priorissam, & Moniales Monasterii præfati quomodocunque eligen. concessas, ac validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, sicque, & non aliâs per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alteri judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiti debere. Et si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane Motu pari decernimus.

Sanatio de-  
fectuum ere-  
ctionis.

Deputatio  
Executorum.

§. 7. Et insuper quatenus opus sit pro præmissorum observatione Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Lacedæmonien. & Episcopo Tagasten. ac Dilecto similiter Filio Emanueli Alvares Citade Canonico Ecclesiæ Elborn. motu simili per præsentem committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eadem præsentem, & in eis contenta quæcunque ubi, & quancocunque opus fuerit, & quoties pro parte Priorissæ, & Monialium nunc, & pro tempore existen. præfatarum requisiti fuerint solemniter publicantes, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra illas, & in eis contento hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, illisque pacificè, frui, & gaudere, non permittentes quempiam ex Priorissæ, & Monialibus nunc, & pro tempore existen. prædictis desuper quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliâque opportuna Juris, & Facti remedia, servata tamen forma Concilii Tridentini, appellatione postposita compefcendo.

Derogatio  
contrariis.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostræ de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò tamen ultra tres dietas aliquis vigore earumdem præsentium extra suam Dioccesim ad Judicium non trahatur & quibuscunque præsentibus prædicti Archiepiscopi, sive ejus Promotoris Fiscalis, & quacunque lite in quocumque Tribunali, aut Congregatione, Urbis & de Partibus indecisa pendente, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Syno-  
cialibus, Provincialibus, Generalibus, Univer-



salubrique Conciliis edicis, vel edendis speciali-  
bus, vel Generalibus Constitutionibus, & Or-  
dinationibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & Litte-  
ris Apostolicis eidem Monasterio, ac quibusvis  
aliis Superioribus, & personis in genere, vel in  
specie, aut alias in contrarium præmissorum for-  
san quomodolibet concessis, confirmatis, & ap-  
probatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si  
pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis,  
eorumque totis tenoribus, specialis, specifica,  
expressa, & individua, ac de verbo ad verbum,  
non autem per clausulas generales idem impor-  
tantes mentio, seu quavis alia expressio habenda,  
aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda  
foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad ver-  
bum nihil penitus omisso, & forma in illis tra-  
dita observata inserti forent, præsentibus pro ple-  
nè, & sufficienter expressis habentes, illis aliis  
in suo robore permanens latissimè, & plenissi-  
mè, ac specialiter, & expressè, nec non oppor-  
tunè, & validè, hac vice dumtaxat motu simili  
teque scientia, & potestatis plenitudine paribus  
derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.  
Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Pis-  
catoris die 3. Augusti 1726. Pontificatus Nostri  
Anno Tertio.

P. Cardinalis Prodaturus.

I. B. Archiep. Nisiben. Subdaturus.

A. Magister Brevium.

Loco † Sigilli.

O. de Carconiis.

D. 3. Aug.  
1726. P. A.  
tertio.

XIII. Binæ Apostolicæ Litteræ in forma Bre-  
vis expeditæ.

In quarum primis ejusdem Constitutio: *Paterna  
Sedis Apostolicæ providentia* pro Tertiariis Or-  
dinis S. Francisci anno 1725. quarto Idus De-  
cembris emanata ad Tertiarias Ordinis Ser-  
vorum B. M. V. extenditur, & ampliatur;  
Ita ut à Jurisdictione, & dependentia Ordina-  
riorum eximantur, & Priori Generali ejus-  
dem Ord. pro tempore existenti Curæ, &  
Superioritati subjectæ omninò sint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Supplicatio.

§. I. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii  
moderni Prior, & Procurator Genera-  
les Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virgi-  
nis, quòd cum ipsi longa experientia cognove-  
rint nonnullas molestias, vexationesque, quas  
ejusdem Ordinis Tertiariæ tolerant, ab illis lo-  
corum Ordinariis, qui ejusmodi Tertiarias ad  
eorum dependentiam, seu superioritatem adigere  
volunt, exoriri, idque eidem Tertiariis animi  
perturbationem, & spiritus dispersionem, at-  
que prædicti Ordinis Superioribus non modicam  
inquietudinem parere, dicti Exponentes, quò  
similibus inordinationibus occurrant, Litteras  
Nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei  
memoriam anno Incarnationis Dominicæ 1725.  
quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno  
secundo expeditas, per quas inter alia Tertiariæ  
Ordinis Sancti Francisci à Jurisdictione, & de-  
pendentia Ordinariorum eximuntur, ad Tertia-

rias primò dicti Ordinis per Nos extendi sum-  
mopere desiderant, præsertim quia hunc Ordi-  
nem à fel. rec. Innocentio PP. VIII. Prædecessore  
Nostro ad participationem privilegiorum quatuor  
aliorum Ordinum Mendicantium admittam fuisse  
memoratur. Nobis propterea humiliter suppli-  
cari fecerunt, ut præmissis opportunè provide-  
re, & ut infra indulgere de benignitate Aposto-  
lica dignatemur.

§. 2. Nos igitur ipsos Priorem, & Procura-  
torem Generales specialibus favoribus, & gra-  
tiis prosequi volentes, & eorum singulares per-  
sonas à quibusvis excommunicationis, suspensio-  
nis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-  
tentiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine  
quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-  
modolibet innodatæ existunt, ad effectum præsen-  
tium tantum consequen. harum serie absolven-  
tes, & absolutas fore censentes, hujusmodi sup-  
plicationibus inclinati, Litteras Nostras prædi-  
ctas, per quas Tertiariæ secundo dicti Ordinis  
omnimodæ jurisdictioni, & regimini earum Mi-  
nistri Generalis subjiciuntur, ad Tertiarias primo-  
dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore præ-  
sentium perpetuò extendimus, & ampliamus;  
ita ut illæ Prioris Generalis pro tempore existentis  
hujus Ordinis curæ, & superioritati subjectæ  
omninò sint.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Consti-  
tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec  
non quatenus opus sit primò dicti Ordinis etiam  
juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis  
firmitate alia roboratis statutis, & consuetudi-  
nibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris  
Apostolicis in contrarium præmissorum quomo-  
dolibet concessis, confirmatis, & innovatis.  
Quibus omnibus, & singulis illorum tenores  
præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,  
ad de verbo ad verbum insertis habentes, illis  
alias in suo robore permanens, ad præmissorum  
effectum hac vice dumtaxat specialiter, &  
expressè derogamus, cæterisque contrariis qui-  
buscumque. Datum Romæ apud S. Mariam  
Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti  
1726. Pontificatus nostri anno tertio.

F. Card. Oliverius.

In secundis verò perpetuis futuris temporibus  
locus Consultoris Sac. Rituum Congregatio-  
nis uni ex Professoribus ejusdem Ordinis de-  
cernitur, & ordinatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Ratio Justitiæ exigit, ut Religiosorum Viro-  
rum Ordines in Ecclesia Dei pie, sanctèque  
instituti, qui multos pro Religione labores con-  
tinuè sustinent, congruis honoribus, & gratiis  
decorentur.

§. I. Cum itaque, sicut dilectus filius moder-  
nus Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum  
B. Mariæ Virginis Nobis nuper exponi fecit,  
ipse, qui unus ex Consultoribus Congregatio-  
nis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E.  
Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ existit,  
locum fixum Consultoris hujusmodi, eidem suo  
Ordini assignari summopere desideret; Nobis  
propterea humiliter supplicari fecit, ut in præ-  
missis opportunè providere, & ut infra, indul-  
gere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur erga prædictum Ordinem,  
quem in visceribus gerimus charitatis, aliquod

Extensio de  
qua in rubr.

Contrario-  
rum deroga-  
tio.

D. 8. Aug.  
1726. P. A.  
tertio.

XIV.

Exordium.

Supplicatio.